

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis  
Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Viro optimo D. Ioanni Reineck, ciui Mansfeldensi,patrono suo,Philippus  
Melanchthon S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](#)

etiam magno viro digna uirtus, homines doctos pericolo liberare: qui cum coelestia dona conseruant in terris, finit (ut ait Plato) τῶν θεῶν ἐργαλεύσται, recte existimantur Deo curae esse. Bene uale. Pro Litteris, 5. 35.

*Misericordia et  
tolerans a  
spiritu pacis  
iniquitate ab  
horrori*

Viro optimo D. Ioanni Reineck, cuiu  
mansfeldensi, patrono suo, Philip  
pus Melanchthon S. D.

Cum uos propter eximiā uirtutem uestram plerique hic amemus plurimum, magnum dolorem concepimus ex interitu honestissimae matronae conjugis uestrae: præsertim cum cogitaremus eam tamē tempore extinctam esse, cum uobis in his publicis miserijs aliud nullum esset solatium, quam dulcissima consuetudo cum coniuge & liberis. Itaque & morte ipsius, & luctu uestro ualde perturbatus sumus. Quare D. Martinus, pro suo suramo erga uos amore, statim duxit ad uos scribendum esse. Ego uero eti sciebam in me non esse tantum autoritatis, quanta opus esse ad uos consolando iudicabam: tamē addidi meas literas, ut studium meum & optimam uoluntatem uobis declararē. Scio autem uos & prudentia & grauitate preditos esse. Deinde ita instructos doctrina Christiana, ut quibus ex sonibus consolationes petendæ sint optimè perspicacis ipsi. Etsi enim pium & honestū est dolere mortem

tem honestissimæ coniugis (nam & Deo placet  
hec charitas erga nos tristis, ut iniuiti ab illis diuella-  
mur, et eorum incommodis afficiamur) tamen etiam  
illud Deo placet, ut moderemur dolorē. Sicut Paulus non uetat nos lugere: sed uetat sic lugere, ut gen-  
tes lugent. Non colligam, quanta sint huius uitæ  
miseriae, quantum præsertim in his temporibus im-  
pendeat calamitatum: ut mors etiam optanda ui-  
deatur, uelut portus aliquis in quo acquiescamus. Il-  
lud tamen rogo ut consideretis, quod Christus ait:  
Ne passeres quidem sine Dei uoluntate uitam amit-  
tere. Debemus autem obedientiam Deo. Quare  
cum certum sit, Dei consilio et uoluntate exempta  
esse ex his æruminis coniugem uestram: non decet  
uos uehementius Dei uoluntati repugnare. Dein-  
de nos qui Christum agnouimus, meminerimus nos  
omnibus afflictionibus obnoxios, & ueluti uicti-  
mas morti destinatos esse. Non competit nobis san-  
ctissimus uictimæ titulus, si recusamus subire affli-  
tiones. Scitis & illud, nos oportere similes fieri  
imaginis filij Dei. Quare cum ipse tam horribi-  
les afflictiones nostra causa pertulerit, præstemus  
ei uicissim hoc officium, quod requirit, ut modera-  
ter feramus ipsius exemplo eas calamitates, quibus  
ecclesiam suam exercere uoluit. Iam hoc uo-  
bis magnam consolationem adferre debet, quod in  
ignitione Dei & erecta fide hinc discessit, ut ue-  
re

re sperare possumus eam consecutam esse eterna  
gaudia cum Christo, ubi iterum una uicturi esis,  
& inter sanctos fruemini illa eterna et uere iucun-  
da consuetudine. Postremo Christianos scire de-  
bet, & peccatum esse, frangi dolore, & irasci iudi-  
cio Dei, & repugnare uoluntati eius. Has ego mihi  
consolationes in multis meis casibus proponere so-  
leo, quas scio uobis notas esse omnes. Quare non  
scribere uolui prolixius. Collegi autem eas bre-  
uiter, ut meum uobis studium ostenderem. Iubet e-  
nim Paulus, ut doleamus cum dolentibus. Et uale-  
re aliquid in Ecclesia, mutua fratrum cōsolatio de-  
bet. Ideo rogo ut meas literas boni cōsulatis, uosq;  
pro uestra sapientia & pietate erigatis, & dolo-  
ri resistatis: & cogitatis nos Christianos non ad hu-  
ius uitae delicias, sed ad acerrima certamina uoca-  
tos esse. neq; tamen defuturum nobis Christum, qui  
ait: Non relinquam uos orphanos. Aderit & ipse  
nobis, cum uerbo ipsius nos sustentabit, & erigit.

V. lib. 4. p. 11. Bene & feliciter ualete. Anno 36.

Pascha.

Illusterrimo & fortissimo viro, Tarno-  
uio, capitaneo Cracouensi, &c. Phi-  
lippus Melanchthon

S. D.

Pergratum mihi fecit Ioannes uetus amicus,  
quod in conuentu Ratisbonensi, quo me fato for-  
tassis